papa electionem eiusdem Caroli substituti plenius[r] ef-
ficeret, ipse deponens ab episcopatu Maguntino Henri-
cum,[s] qui dicto Lodovico imperatori adherebat, subrogavit in lo-
cum eiusdem ad ecclesiam Maguntinam Gerlacum de
Nassouwe, ut eodem Gerlaco iam in archiepiscopum Ma-
guntinum constituto una cum aliis integraretur nume-
rus electorum in electione Caroli supradicti. Qui tamen
Gerlacus ad sedem archiepiscopalem pervenire non po-
tuit, quamdiu dictus Lodovicus supervixit, resistente sibi
potencia Lodovici imperatoris et Henrici archiepiscopi pre-
dictorum. Tandem idem Lodovicus IIII. dudum per ecclesiam
ab imperio depositus, postquam regiam et imperialem
dignitatem multa fretus potencia 33 annis et ultra manu
1347 oct. 11. valida tenuisset, subitanea preventus morte vita deces-
fol. 112. sit. Fertur autem, quod, cum ipse circa finem vite il-
lustrem feminam ducissam Austrie ad se venientem per
aliquot dies honeste accipiens pertractasset, ultimo die,
cum ipsa esset ab [illegible]eo recessura, rogatus per eandem
leta cum ipsa convivia celebravit. Prandio autem facto,
cum dicta ducissa iam recessisset, ipse de loco convivii
~~iam~~ pergens ad venacionem ferarum, cui ex consuetudine
libencius insistebat, post paucas horas recessus dicte domine
de equo cui insidebat labens (de) et per familiares ipsum comi-
tantes positus super terram spiritum subito exalavit, veneno
sibi ministrato, sicut a multis coniicitur,[t] in convivio
precedenti.

r) plenius cod. s) Henricum suppl. t) conicitur cod.